

Quamquam Hertzbergius, vir doctissimus, de elocutione Properti copiosissime disseruit, alii autem recentiores, ut Heymannus et Kuttnerus, de flexionibus et peculiari singulorum verborum usu Propertiano uberius disputaverunt, tamen haud pauca, quae et ad rectam elegiarum interpretationem et ad genus dicendi huius poetae accuratius cognoscendum conferre possint, adhuc desiderari ratus ea quae magis ad syntaxin quam ad formas et ad sermonem ornandum pertinent ita componere ausus sum, ut auxilio disputationum, quae de sermone aliorum illius aetatis poetarum scriptae sunt, syntacticum — ut ita dicam — usum Propertianum cum aequalium et posteriorum compararem et praecipue in ea, quae Properti propria sunt, accuratius inquirerem.

Qua in re ordinem et rationem libri a Draegero summa diligentia elaborati, qui inscribitur, „historische Syntax der lateinischen Sprache“, in universum secutus sum.

In laudandis locis numeris usus sum editionis L. Muelleri, praeterea in elaboranda disputatione adhibui imprimis Lachmanni, Hertzbergi, Baehrensi editiones.

---

